

8½

APHORISMORUM

TRIAS,

QUAM,

STIPENDIARIOS AD ACADEMIAM
IMPERIALEM ABOËNSEM

EXERCENDI GRATIA,

VENIA AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

PUBLICE EXHIBET

JOHANNES HENR. AVELLAN,

*Historiarum Professor Publ. & Ord.
Stipendiariorum h. a. Inspector,*

RESPONDENTE

ERICO VILHELMO THEOD. SjÖMAN,

Stipendiario De la Myliano, Boreali.

In Auditorio Juridico, die V Maji MDCCXXVII.

hora a. m. IX.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM.



Aphorismus I.

Pro rato quidem haberi, inde a primis cultioris vitæ humanæ initii, consvevit, singulis Litterarum Disciplinis suum esse objectum, aut materiam separatam, ex qua, diligenter considerata & in certum ordinem vel formam redacta, singulæ enascerentur & efflorescerent. At vero ita quamvis cuivis scientiæ peculiarem adsignaverint ditionem Eruditi multisci, de abundante doctrina sua magnopere sibi congratulantes, tamen plerosque, ac sua scientia tumidissimos quoque maxime, prætereisse omnino videtur cogitatio, tam de fundamento, sive fonte cognitionum quarumcumque suarum originario & universali detegendo, qnam de loco vero ac genuino, quem in orbi cognitionum omnium integro tueantur, determinando. Recusari itaque non potuit, quominus, verecundioris, simulque sagacioris ingenii homines, multa ex iis quæ pro veris venditabantur, nonnisi in casu atque vana opinione posita fuisse, persentiscentes, animumque, causa probabili inde repetita, ad ultimam aliquam veritatem, eandemque ceterarum omnium unam stirpem & effectricem communem, caute investigandam & designandam adpellentes, Sapientiæ Studiosorum (*φιλόσοφων*) nomine, itidem verecundo, merito honestarentur.

Aphor. II.

Quod qui perarduum moliebantur opus, quamvis multifariam fluctuante & ambiguo, per intervalla temporum semet

subsequētia, usos fuisse successu videantur, tamen in incep-
to permanentibus, ad irritum cecidisse conata haudquaquam
judicabit, quivis, temere concepta opinione non ductus, hi-
storiam Philosophiæ, præsertim recentioris, mente animoque
perlustraverit. Quin multo potius sagacior quilibet rei æsti-
mator, in silvosa ipsa, quæ, haud ita longo temporum de-
cursu, in conspectum venerit frequentia Philosophorum, in-
ter se quidem varie in variis dissidentium, sed nihilominus in
haud paucis etiam, iisdemque gravissimis rebus, mente simul
ac voce consentientium, videre sibi videatur caussam suffi-
cientem colligendi: tantum numerum hominum, in primis pru-
dentium, in unum omnes *Objectum* dirigentium aciem oculo-
rum, haud probabiliter concurrisse, nisi sublimitate pariter ac
novitate rei cuiuspiam visæ in admirationem raperentur. In-
solitum igitur lumen, ex patefacto tandem Sidere, ut ita di-
cam, in centrali, vivaque & reali, veritatis itidem vivæ &
realis, sede, *Idea absoluta*, infixo, effulgens, caussæ credide-
rim fuisse, cur, ad exortum veluti novi Phænomeni, non
modo magnam istam frequentiam novo gaudio tripudiantium,
variis variis laudibus sua visa jactantium, sed numerosiorem
etiam turbam, ex signo ejusmodi, secundum illorum opinio-
nen, infausto non minus ac miro, pessima augurantium,
dies nostri viderint, exaudiverint.

Aphor. III.

Quod si queritur, an, vel quomodo probari possit veri-
tas ipsa *Ideæ Absolutæ*, quam fundamentum & sedem
omnium veritatum primam & communem constituere innuimus;
mox fere superflua & inanem quæstionem esse nemo non
judicabit, facile nimirum perspiciens: nihil verum intelligi,
de nulla re dubitari, vel ne quidem quæri posse, nisi sit id
ipsum, *Intelligens*, *Dubitans*, *Quærens*. Igitur nonnisi a-
etum egisse censendi forent, ex. gr. *CARTESIUS*, cum in cele-
bri enunciato: *cogito: ergo sum*, fundamentum Philosophiæ
suæ substruendum ponerat, & *FICHTIUS* ubi ex formula:

A=A, το Ego Absolutum deduxit, & ceteri tandem ejus-
cumque nominis Philosophi, cum ex veritate quapiam nota-
haudque dubia, principium commune cuivis veræ scientiæ quæ-
rerent, si modo probandum sibi sumissent, nullibi, nisi in
Mente Intelligente, ultimum principium veritatis proptereaque
ultimam ipsam absolutamque veritatem esse quærerendam. Effi-
cace itaque ac spontanen vi Mensis ipsius suum cuique
Philosophis, si turpes excipias Empirismi & Sensualismi au-
tores, alterum, mirum quantum resolutu difficilius, se obtu-
lit problema: quo nempe explicaretur: quid tandem sit *Mens*
ista intelligens? quæ *substantialis* & *identica* *prima* *hujuscemodi*
Veritatis absolutae vis & *essentia viva atque libera?* En! i-
gitur *Objectum*, in quo ex intimis suis recessibus in conspe-
ctum producendo, vera quævis Philosophia versatur. Operæ
premium idecirco esset comparationem quandam instituere, qua,
quadantenus saltem, indicare conaremur, quem Principes in
Philosophia Idealismi eminentissimi, suum quisque præcipuum
Systematum conditorum, habuisse nobis videntur, exitum; qua
potissimum re — KANTIUS se in vacuo formalismo, cancellis
Relativitatis absolutæ circumscripto, vel potius divulso, per-
mansisse; FICHTIUS quo voluit, ad Identitatem το Ego & το
non Ego probandam, haud perveniens, neque semet, cancel-
los relativitatis, acerrimi ingenii aciem clam subterfugientis
superasse; SCHELLINGIUS, completum quamvis, concretam &
absolutam Absolutæ & Identicæ Ideæ arriperet Unitatem, ean-
dem tamen in intuitionibus *mathematicis*, quin immo quod mirum
videatur, simul *Poëticis*, semet ita construxisse atque incrustasse
(ignoscant *Poëtae* vocabulo), ut *Libertati Ideæ*, nisi ex axio-
mate quodam perperam aliunde petito, aditus haud relictus
sit; HEGELIUS tandem absolutæ Ideæ *Conceptum omnibus nu-*
meris absolutum proptereaque & ad Libertatis, (ejusdemque
gravissimi quidem, omnium quæ in Idea connectuntur mo-
menti) & ad ceterarum veritatum naturam accommodatissime,
semet determinasse, — prodiderint. Verum latius ita patenti
contemplationi cuidam heic non locus.